

gnatur egroto, sed morbo, eumque variis anti-pharmacis impugnat. « Medici, inquit D. Chrysostomus, hom. XVIII. in Matth. quando injuriis et calcibus caduntur furentum, tunc illorum magis misereatur, scientes magnitudinem morbi hac injuria significari. Hoc nos et in ira percitis servemus, etc. »

Secundo, amore justitiæ et honoris Dei, non amore propriæ vindictæ; alioquin si propriæ vindictæ appetitus iram exsuscitet, jam tui ipsius judex et vindex es; quod nullo jure permissum. Quando discipuli Christi, rati se in persona magistri sui contemni, optarunt ignem de cælo descendere in Samaritanos, eosque consumere, repressi sunt a Domino dicente: *Nescitis cujus spiritus estis*, Luc. XII. Postea vero ad solum Dei honorem respicientes, juste ac cum laude puniverunt subita morte Ananiam et Sapphiram, Actor. V. Elymam magum cæcitate, Actor. XIII.

Tertio, ut severitas correctionis externæ, mentis tranquillitatem non perturbet. Ad quod obtinendum, collige te prius antequam præ te feras, sicuti ingruente tempestate anchora ejecta prius firmatur navis ne jactetur tempestate. Superma aeris regio semper est tranquilla et serena, licet inferior tonet, nubes cogat et fulminet. Sic animus irati licet extra præ se ferat iram, semper tamen pacatus esse debet interius. Et sic irascitur Deus, qui in se semper tranquillissimus, extra solum tonat, fulminat et punit: ideoque ejus ira a Jeremia, cap. XXV. *Ira columbæ* vocatur, ut exponit S. Gregor. super cap. XL. Job et Maldonatus. Ratio, quia alioquin is qui corrigitur, pœnam sibi irrogatam non poterit boni consulere, quam credet et videbit ex perturbatione potius quam ex ratione descendere.

V. Quousque? Respondeo sicut Deus marj posuit terminum: *Usque huc venies et non procedes amplius*, Job. XXXVIII. sic ponendum iræ quoque terminum. Ergo primo, non procedat in corde, seu non diu retineatur, alioquin: *Ira inveterata fit odium*, ut ait August. in Psalm. CXLIX. Idem Augustinus in regula ait: *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam*. Nemo nescit sclopeta seu bombardas a multo tempore onerata. Propterea apostolus ad Ephes IV. non ultra diem jubet retineri hoc onus in sclopeto cordis nostri: *Sol non occidat super iracundiam vestram*. Quod et moraliter intelligi potest, ne charitas proximi in irâ extingatur, si diutius refineatur. In hodierno evangelio Dominus jubet huic negotio, reconciliationi videlicet cum fratre postponi sacrificium et ipsum Dei cultum: *Relinque ibi manus tuas ad altare, et vade prius*

reconciliari fratri tuo. Velut igitur canis mordax in catena semper retinenda est ira, et mox retrahenda: dicendumque quod mari fervescenti et fluctuanti Deus dixit: *Usque huc venies et hic confringes tumentes fluctus tuos*. Irascimini igitur et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini, id est, vesperi mox delete et punite atque exeuite iram vestram, ad exemplum Davidis, qui postquam ex aliqualis vindictæ affectu absidisset Sauli partem chlamydis, mox facti pœnitit, et: *Perussit eum cor suum*, 1. Reg. XXIV.

Secundo, non prorumpat in verba injuriosa et contemptibilia; ac his enim dicit Dominus: *Qui dixerit fratri suo: Fatue, reus erit gehennæ: qui dixerit: Raca, reus erit concilio*. Sic David, Psalmo CXLII. *In me turbatum est cor meum, id est, non foris perturbationem ostendi, sed veluti quamdam abruptam undam intra litus retinui*, ut exponit Basilus, hom. de ira. Ratio quia alioquin ad vindictam procederes potius, quam ad emendationem ejus, in quem frendis; cum satis futurum prævideas ut ille inde graviter exacerbetur, tantum abest ut utilitatem accipiat. Quemadmodum enim is qui nudato gladio ab alio percutitur, non potest in bono animo, quasi correctionem accipere; quod tamen faceret, si gladio in vagina recondito percuteretur. Sic qui conviciis et contumeliis appetitur, conviciantem pro hoste habet et carnifice, non pro correctore aut amico: *Lingua enim eorum gladius acutus, et sæpe vehementius ferit, quam ensis*. Qua in re infinites pene delinquent patres et matres familias, dum filios et filias, servos et ancillas innumeros probris nulla veritate subnixis onerant: et nunc quidem fures, nunc sagas et meretrices vocant, sicque eorum infirmos animos graviter exulcerant. Tametsi leviorum conviciorum quæ erratis pene omnibus accommodari possunt et utcumque veritate nituntur, alia est ratio, ut cum stulti, stupidi, refractarii, improbi per modum correctionis appellantur, sic enim discipulos aliquos vocavit Christus *stultos*, Luc. XXIV. Joannes Baptista Judæos *genimina viperarum*, Luc. III. Paulus Galatas *insensatos*, ad Gal. III.

Tertio, non procedat in verbera, ne scilicet vindictam opere exerceat; quia cum duo in omni opere observari debeant, justitia et misericordia, ira neutrum observat. Non misericordiam ut patet et confirmatur, Prov. XXVII. *Ira non habet misericordiam*: non justitiam, quia non attendit nec attendere potest ad culpæ quantitatem, præ turbatione mentis; et ut plurimum graviter excedit. Ut enim per nebulam corpora, sic per iracundiam res majores videntur. Sic Plato castigaturus puerum iratus inter-

veniente Xenocrate: *Flagella tu, inquit, hunc puerum, nam ipse sum iratus*, Laert. lib. III. Sic Architas Tarentinus vir primarius quodam die ad servum delinquentem dixisse fertur: *Jam te verberibus enecarem, nisi iratus essem*. Confirmatur Jac. 1. *Ira enim viri justitiam Dei non operatur*, inquit. Eadem de causa proposita mala, quæ in ira conceperis, nequaquam executioni danda. Cujus rei exemplum præbet egregium Aurelianus imperator, cujus symbolum erat: *Quo major, eo placabilior*. Is cum Thyanam Bithyniæ urbem obsidens, forte per iracundiam dixisset, se ne canem quidem in ea relicturum incolumem, eaque voce milites in spem prædæ erexisset, capta demum per deditionem civitate Aurelianus unum proditorem Heraclemonem occidi passus est, reliquis omnibus pareens civibus: quorum cædem et direptionem cum urgerent milites juxta promissum Cæsaris: *Agite, inquit, canem negavi me relicturum, canes omnes occidite*. Refert. tymp. in spec. magistr. signo LXXXIX. Quare sapientissime S. Hieron. in ep. ad Salvinam ait: *Irasci hominis est, et iram non perficere, Christiani*. Irascimini igitur, et nolite peccare, etc.

CONCIO V.

IRÆ PROPRIÆ SEDANDÆ REMEDIA.

I. Suffoca gliscentem iram. — II. Ne præcipita. — III. Remove materiam iræ. — IV. Salutaribus cogitationibus te muni. — V. Cogita iræ damna.

THEMA.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. V.

Jeremiæ, cap. 1. libri ejus, legimus ostensam a Deo mirabilem visionem: ollam nimirum succensam et ebullientem; et prius immediate virgam vigilantem, seu parantam ad feriendum, respondisseque Deum: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud*. Non absimile quid video in hodierno evangelio. Ollam enim succensam video imprimis in eo describi ac proponi, quæ primo in corde aestuet iracundia, deinde ebulliat in verba indignationis et contemptum, dicens fratri suo: *Raca, et Fatue*. Sed video præterea imminere huic ollæ virgam, virgam, inquam, vigilantem et minantem flagra. Quenam vero illa? *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, etc.* hoc est, reus erit mortis æternæ. Videor insuper mihi audire verbum illud: *Vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud*, ait enim: *Ego autem dico vobis*. Itaque si nihil aliud esset, quod ab ira nos

coercere deberet, verbum hoc deberet, et virga judicium comminans. De marj loquitur Deus, Job, c. XXXVIII. *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi: Usque huc venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos*: et ecce mare obedit voci creatoris sui usque in hodiernum diem. Quid igitur est, quod non obediat eidem homo aestuans iracundia, cum tamen audiat in hodierno evangelio præfixum sibi limitem: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui dixerit: Raca, reus erit concilio: qui dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis*? Itane mare obedit Deo suo, et homo non obedit? Annon jure hic usurpemus Isaia, c. XXIII. *Erubescet Sidon ait mare? Erubescet homo, inquit mare, quod Dei sui voci pareat, quam tu audire renuis*. Cæterum quia mare non solum audit, usque huc veniens, sed præterea terminis suis et ripis est conclusum: adhibeamus etiam nos iræ compescendæ aliquot remedia, quasi littora, quibus eam includamus.

I. Principis obsta et suffoca in te ignem iræ, cohibe te, ne quicquam loquaris, sic enim et ignis intra fornacem, si undique obstruantur foramina, ne erumpere queat, in seipso suffocatur, nec valet incendere domum. Hoc voluit apostolus, ad Ephes. IV. cum post ea verba: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, mox subjungit: *Nolite locum dare diabolo*; ira enim recepta in animo locum parat diabolo, et aditum præbet pluribus peccatis.

Cogita iram esse feram, quam si mansuefeceris, heroicum actum præstiteris, non minus quam David, cum leonem et ursum suffocavit apprehendens mentum eorum, 1. Reg. XVII. quod significat initium iræ. Unde S. Chrysost. hom. V. in Matth. ait: « Ponamus iram bestiam quamdam esse; quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem, studium commodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam et effice hujusmodi cogitationem mitem atque mansuetam, siquidem hæc fera et unguibus sævissimis armatur et dentibus: et nisi illam sollicite mansuefeceris, cuncta simul disperdet atque lacerabit. » Sic ille Sed nimis difficile est hoc, inquis. Atqui: *Sub te erit appetitus ejus* (peccati) *et tu dominaberis illius*, ait Deus, Genes. IV. Deinde, qui fit, ut celebrentur ob hanc virtutem multi ethnici? Antigonus rex gentilis duos cubicularios exubantes sibi maledicere audiens, insperato allocutus est: *Longius discedite, ne vos rex audiat*, apud Sen. l. III. de ira, cap. XXII. Pisistratus Atheniensium tyrannus, cum ebrius conviva in ejus crudelitatem diceret, nec deessent, qui vellet manus obtreptatoris injicere, prohibuit dicens.

se non magis illi succensere, quam si quis obligatis oculis se incurrisset, ibid. cap. XI. Philippus rex, cum legatis Atheniensium responderet: *Dicite mihi: Facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum*, excepit Demochares legatorum unus: *Te, inquit, suspendere*. Quod responsum cum omnes ad indignationem provocaret, rex mansuete tulit, et ad cæteros legatos conversus: *At vos, inquit, nuntiate Atheniensibus multo superiores esse qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt*, ibid. cap. XXIII. Socrates pugno percussus nihil amplius dixit, quam molestum esse quod nescirent homines quando cum galea prodire deberent, ib. cap. XI. potuerunt igitur hoc ethnici, et non potuerunt Christiani? Nonne lex christiana ferocem gentiliū vitam, transfudit in mitiorem?

II. Ne præcipita. Docuit hoc ipse Deus, Exod. XXXIII. cum puniturus delinquentes, teneri a Moyse voluit, hoc ipso quod ait: *Dimitte me ut irascatur furor meus, q. d. prohibe me vel retarda tuis precibus*. Sic Athenodorus valedicens Augusto imperatori hoc ei monitum reliquit: *Cum irasceris, Auguste, nihil ante vel dixeris vel feceris, quam tecum viginti quatuor litterarum elementa repetieris*. Mox Augustus manum ejus apprehendens: *Etiannum, inquit, tua opus mihi est præsentia*, Plut. in apophth. Rom. De eodem Augusto refert Claudius Paradinus gestasse eum in manu annulum, in quo sculptus erat cancer marinus, qui utraque forcice tenebat papilionem vermum præcipitantiae typum: quo seipsum admoneret, ne in ira præceps esset. Confirmat hoc Democritus, qui interrogatus quid in consiliis principum esset pessimum, respondit: *Præcipitantia*. Seneca, lib. III. de ira, ait: *Multos absolvemus; si caperimus ante judicare quam irasci*. Cogita ergo prius non esse tantam, quæ tibi infertur, injuriam, quantam putas. Ratio, quia ut Plut. de cohib. ira scribit: *Quemadmodum per nebulam corpora, ita per iram majora videntur, quæ commissa sunt*. Nautæ ad navigandum expectant tranquillum mare, idem præsentientes tempestatem, anchoris firmant naves: ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus animus et in diversum nitendum, ut ait Plut. in moralib.

III. Remove materiam iræ, sicut ligna procul ab igne. Cotys Thracum rex, cum esset natura sævior in corripiendis servis delinquentibus, et quidam dono ei obtulisset vascula fragilia tenuiaque sed affabre elaborata, offerenti quidem dedit munera: cæterum vasa omnia mox confregit. Demirantibus cur id faceret? Ne, inquit, sævire in eos qui fracturi erant, Plut. in apophtheg. Seneca, lib. III. de ira, c. III.

ait: « Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus; qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habitū sint, eruit, seipse inquietat. » Sic ille.

Ad hæc paucis contentus esto: et non moleste feres injurias: siquidem meum et tuum est radix omnium discordiarum. Faciebat hoc ille monachus qui dicebat se propterea ablegasse a se sæculi delicias, ne occasionem irascendi haberet; siquidem pleræque contentiones et iracundiæ propter illas oriantur, mentem perturbent et a cognitione meliorum abstrahant. Refert Evagrius monachus, apud Nicephorum, l. XI. c. XLIII. Propterea etiam S. Ephrem, cum primo iracundiæ valde subjectus esset, sæculo renuntiavit et monasticam paupertatem amplexus est, ut vitium id extirparet. Cum igitur ei, ubi plures dies more suo jejunasset, cibum minister afferens ollam fregisset et hunc pudore ac metu teneri cerneret: *Bono sis animo, inquit, ad cibum nos eamus, quandoquidem ille ad nos non venit*. Et fragmentis ollæ assidens pransus est, ita Sozomenus, l. III. hist. eccl. c. XVI. Vel abscede ab eo, cui irasceris: occupa te aliis et lætioribus cogitationibus vel studiis, donec ira defervescat. Sic Assuerus, cum contra Aman sibi assidentem excaudisset, surrexit de loco convivii et intravit in hortum arboribus consitum, (Esth. VII.) ne præsentem Aman serverius quid in eum statueret ex ira, contra regiam suam dignitatem.

IV. Salutaribus cogitationibus mentem præmunito, et æstuantem alio divertito. Primo, mortem cogita. Petrus Damianus, in reg. de vita eremit. ait, non esse melius remedium extinguendæ iræ, quam adire sepulcra mortuorum. Sed ratione? Eam mihi exponit Seneca, l. III. de ira, cap. ult. « Quid servo, inquit, quid domino, quid regi, quid clienti tuo irasceris? Sustine paulum. Venit ecce mors, quæ nos pares faciat. Ridere solemus inter matutina arenæ spectacula, tauri et ursi pugnam inter se colligatorum; quos cum alter alterum vexarit, suus confector expectat. Idem facimus. Aliquem nobiscum alligatum lacessimus, cum victo, victorique finis æque maturus immineat: » et mox: « Sæpe rixam conclamatum in vicino incendium solvit: et interventus feræ latronem viatoremque diducit. Colluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus major apparuit. » Sic ille. Cogitemus ergo mortem instar ursi vel tauri nobis alligatam, cogitemus incendium gehennæ in vicino sæviens, et non vacabit rixari de nugis. Proverbio dicemus: In lixivio pellionis omnes conveniemus, dicebat agnus lupo. Contigit hoc raro mundi spectaculo duobus imperatoribus æmulis, Adolpho

comiti a Nassau et Alberto Austriaco, quorum ille cum omnibus ingratus, abdicatus esset imperio ab electoribus et in ejus locum suffectus Albertus, commissum est inter eos prælium acre, quo Albertus manu sua Adolphum occidit, sicque imperium obtinuit. Verum qui in vita non poterant convenire, in morte convenerunt, dum post mortem ambo Basileæ in idem sepulcrum conditi sunt, vix uno palmo a se mutuo disjuncti. Refert Gerardus de Roo, in hist. Austriaca, lib. II. Itaque sustineamus iram aliquantulum, in lixivio pellionis omnes conveniemus. Pellio iste Deus est, qui primos nostros parentes pellibus vestivit: lixivium est sepulcrum, in quo omnes eandem in urnam conjeti macerabimur et mites evademus. Ibi habitabit lupo cum agno, et pardus cum hædo accubabit: *Apes cum inter se contendunt et motu aliquo vehementi concitantur, jactu pulveris componuntur*, inquit Hector Pintus, in Ezechielis a. VI. Itaque et nos cum rixamur et contendimus, jactemus super nos pulverem in quem convertendi sumus et ni fallor, conveniemus.

Secundo, quam sæpe et quam graviter tu Deum et homines offenderis, qui tamen tibi ignoverunt. Deus vult te sibi esse similem, et diabolus ex altera quoque parte sibi. Vide nunc quid agas, spectante Deo certamen tuum. Huc respexit Carolus V. piissimus imperator, qui cum omnibus ignosceret veniam petentibus et indignos etiam toleraret ac beneficiis sibi devinciret, ea de re quasi indigna admonitus, respondit: *Et qua charitate nos hactenus tulit Pater cælestis? Mutius, l. VIII.*

Tertio, cogita hominem præ cæteris animalibus ad pacem et concordiam natum, cum solus inermis, sine cornibus, unguibus, calcibus, aculeis, dentibus porrectis natus sit: quibus alia animantia prædita sunt. Itaque iracundus in bestiam degenerat. Hinc S. Basilus, hom. XXI. « Scriptura, inquit, tibi dicit: Vir iracundus turpis est. Quomodo turpis est? Quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi, turbidi sanguineique fiunt. Cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aprum dentes acuentem, loqui sæpe incipientem ac verba imperfecta relinquentem. » Nonne turpis fores, si haberes cornua tauri, dentes apri, ungues accipitris, ungulas equi? At hæc induis dum immodice irasceris.

Quarto, te irato similem fieri, si irascenti irasceris, adeoque cum insano insanire; quidquid enim ille facit absurdi, tu etiam facis. Clamat ille, et tu; fremit ille, et tu; ardet

ille oculis, et tu. Unde Democritus ad quemdam, qui servum flagris cædebat, dixit: *Desine te servo tuo similem ostendere. Servus enim est, qui suis cupiditatibus imperare non potest*, Laert. Alius dicebat: *Si mihi asinus calcem impigisset, num tu velles ut in eundem recalcitrarem?*

Quinto, cogita cæcam et inefficacem esse ulciscendi rationem, quæ ab ira dependet: ut quæ fere in stultas minas et cæcas criminationes desinit, et ultro tandem ridicule concidit. Unde Democritus dixit, iram cæcas parere criminationes, quemadmodum canes pariunt cæcos catulos, Maxim. serm. de ira. Sicut aqua fluminis, aut pluviarum non utimur ad potum, antequam subsidat; nec cerevisia, donec a fæcibus purgetur: sic durante ira non est sumenda ultio, ne animum lædamus, et modum excedamus: *Cum ira enim nihil recte, nihil considerate fieri potest*, inquit Cicero, lib. 1. offic.

V. Cogita quanta sint iræ damna et incommoda. Nam ira primo, animum et cor intus corrodit sicut vermis in pomo proprium habitaculum. Dicitur serpens in partu necare matrem: idipsum facit ira: unde Philo ait: *Cogitationes irati partus sunt viperarum*: et Psalm. LVII. *Furor illis secundum multitudinem serpentis*. Ira in prægnantem te femina quandoque occidit fœtum: semper in effeminato irascentis occidit animam: unde multo plus sibi nocet, quam illi, in quem sævit. Velut enim apes postquam infixere alteri aculeum, ipsæ moriuntur; plaga vero modico luto sanatur: ita iracundi, postquam effuderunt iram et vindictam suam, tum morore animæ et conscientie remorsu exagitantur ac pene efficiuntur. Expertus id inter alios Ludovicus Severus Bavarie dux, qui cum falsa suspitione delusus occidisset conjugem suam Mariam Brabantinam, Danuwerdæ commorantem, postea facti pœnitens, tanto morore correptus est, ut una nocte ex juvene viginti septem annorum totus incanuerit, quasi jam septuagenarius esset, Raderus in Bav. s. et pia, tom. II. Quos aculeos putatis sensisse istum principem una illa nocte?

Secundo, in bestiam et insanum mutat. Unde furor brevis dicitur ab Horatio, epist. 1. et Catone seniore. Nihil enim non audet, uti Deum provocare, cum diabolo congregari, amicos invadere, necnon in res inanimatas sævire. Nec frustra in sanctis litteris irati vocari solent stulti: *Ira in sinu stulti requiescit*, Eccl. VII. *Ira interficit stultum*, Job. V. *Ira stulti gravior saxo*, Prov. XVII. quia si vehementius inflammetur, hominem de statu mentis deturbat. Ostenditur hoc in Saule, qui dum cogitaret nece Davidis stabilire regnum filio, interim nitebatur eundem filium lancea configere, quasi hoc esset

stabilire regnum filio, eum occidere, 1. Reg. X. ostenditur in Cyro rege Persarum, qui Gynden, notissimi nominis flumen, ut equum candidum sibi charum in eo submersum ulcisceretur, in trecentos octoginta rivulos divisit, ita ut transiri calcamque a feminis ne genua quidem tingentibus (ut addit Herodotus) posset: et tamdiu assedit operi, donec ad finem perduceretur, ut refert Seneca, lib. III. de ira, cap. XXI. ostenditur in C. Cæsare, qui villam in ora Campaniæ pulcherrimam diruit, quia mater ejus aliquando in illa custodita fuerat apud eundem, ib. c. XXII. ostenditur in Xerxe qui Hellesponto trecenta verbera infligi, stigmata inuri, colaphos ineuti jussit, et in pelagus par compedum injici, his verbis: *Hæc te Dominus pœna afficit, qui eum læsisti, a quo nulla unquam injuria affectus es.* Idem Athoni monti epistolam misit in hæc verba: *Atho infelix, ad cælum usque porrecte, nec meis operibus facies lapides magnos et ad eruentum difficiles, alioqui cœcisum te projiciam in mare,* Plut. de cohib. ira et alii. Denique, in vecorde illo C. Caligula imp. qui iratus cœlo, quod turpidius suis pantomimis et spectaculis officeret, Jovem ad pugnam provocaret, necnon ad duellum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.* Stultitiam irati ostendit facies, lingua, gestus, et unde Plutarch. ait iratos debere seipsos in speculo contemplari, quo se dare iram discant: deprehenderent enim se non tam homines, quam bestias.

Tertio, reddit hominem pusillum, abjectum et mulierem. Videmus enim quod mulieres magis iracundæ sint quam viri, et ægroti quam sani, et senes quam juvenes, et qui rebus adversis, quam qui secundis utuntur, parvuli quam adulti. Quemadmodum enim suprema regio aeris semper quieta est, ut patuit in Olympo monte in cujus vertice litteræ sabulo inscriptæ, post annum repertæ sunt integræ; inferior vero semper inquieta et tempestatibus agitata: sic animi generosi non facile commoventur ad iram, pusilli vero facillime. Audiamus Senecam, lib. III. de ira, cap. VI. « Pars superior mundi et ordinator, ac propinqua sideribus nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbine: omni tumultu caret, inferiora fulmiant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus et venerabilis est et compositus quorum nihil invenies in irato. » Idem Senec. I. II. de ira, c. XXXIV. ait: « Pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem ut mures et formicæ: ad quas si manum admoveris, ora convertunt: imbecilla se lædi putant, si tanguntur: » et c. XXXII. « ille magnus et nobilis est,

qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus exaudit. » Solinus, l. I. c. XX. « Legimus, ait, petenti Indiam Alexandro, a rege Albanæ duos molossos fuisse missos, quorum alter sues et ursos oblatos usque adeo sprexit, ut offensus degeneri præda, ignavo similis diu acubaret, quem per ignaviam velut inertem Alexander extinguere imperavit. Alter vero monitu eorum qui donum prosequuti erant, leonem missum necavit. Mox viso elephantum notabiliter exultans, belluam primum æstu fatigavit, deinde cum summo spectantium horrore terræ affixit. » Sic Solinus. Discamus igitur vel ab his canibus generositatem animi, iramque non in homines, utpote imbecilles, sed in dæmones, velut robustissimos et sævisimos exerere. Hinc Aristoteles, teste Eliano, Alexandro M. natura iracundo consuluit, ut omnibus se superiorem æstimans, maledicta contemneret, Christianus vero maledicta contemnat, non quasi conviciatore sit melior, sed quasi maledictis fortior.

Quarto, reddit hominem perturbatum et cæcum, uti supra adnotavimus. Ea de re Plutarchus, lib. de coh. ira ait: « Qui se una cum ædibus incendit, omnia tumultibus replet intus ut videre nequeat, quid sit utile: sic ira commotus animus. »

Quinto, subdit hominem dæmonis imperio quomodo equus, cum obligatur ei oculi, quaquaversum ducitur. Samson excecatus ductus est ad molendinum, irati enim: *In circuitu ambulat, id est, quasi vertiginosi in multa vitia pertrahuntur a diabolo: unde David, Psal. VI. Turbatus est a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.* In aqua perturbata facilius capiuntur pisces, sic in ira homines.

Denique, irascere tibi ipsi, quod iram tuam domare nequeas, quam tamen in se domabant plurimi ethnici, Plato, Socrates, Pericles, Diogenes, etc. Devorabit hæc sancta ira pestiferam illam, uti virga Moysis devorabat virgas magorum, Exod. VII.

Moveat te postremo terribilis Domini sententia in hodierno evangelio: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Aspice virgam vigilantem super ollam succensam. Scito etiam ejusmodi succensis ollis paratam esse aliam ollam succensam, infernalem scilicet, qualis illa fuit, in quam demergi Theodoricum Rom. regem vidit quidam sanctus eremita, apud S. Gregor. I. IV. dial. c. XXX in insula Liparitana; a qua custodiat nos benignus et misericors Deus.

« ille magnus et nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus exaudit. » Solinus, l. I. c. XX.

CONCIO VI.

REMEDIA IRÆ ALIENÆ.

I. Cede irato. — II. Noli obloqui irato. — III. Da irato verba placida. — IV. Humilia te. — V. Beneficio eum demulce. — VI. Impudentes coerce.

THEMA.

Vade prius reconciliari fratri tuo. Matth. V.

Præclaram quidem doctrinam tradit Dominus in hodierno evangelio, cum jubet fratrem irato sibi fratri statim reconciliari. Difficile tamen apparet quomodo id fieri possit. Nemo enim nescit quam difficile sit hominem sibi iratum et infensum vel alloqui, nedum reconciliare. Sapiens certe dixit, Proverb. XVII. *Expedit magis ursæ occurrere raptis fetibus, quam fatuo* (id est irato) *confidenti sibi in stultitia:* et Chrysost. hom. XXIX. ad pop. Antioch. ait: « Feræ potius quam homini iracundo cohabitandum est; nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam servat legem, hunc autem quotiescumque mitigaveris, rursus efferatur. » Sic ille. Et sane multoties feram mitigare facilius est, quam hominem iratum. Quid ergo remedii ad placandum ejusmodi hominem? Eamus et quæramus.

I. Cede, seu fuge cum Josepho, ne perdas pallium justitiæ. Chrysost. hom. XII. operis imperf. ait: « Sicut Joseph dimisit pallium in manu meretricis et fugit cum meliore pallio castitatis: ita et tu projice pallium in manu calumniatoris et fuge cum meliore velamento justitiæ: ne forte dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. » Hoc nimirum est quod suavitatis Dominus, Matth. V. *Ei qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium: et quicumque angariaverit te mille passus, vade cum illo et alia duo.* Ut enim prudentes nautæ vento vehementi non resistunt, sed cedunt, carbasa demittendo, vela complicando, malum deponendo, in sentinam descendendo etc. atque hoc solo medio vincunt tempestatem: ita faciendum suadet Dominus. Et sic ipse cessit furori Samaritanorum nolentium eum admittere in civitatem, et abiit in aliud castellum, cum possent eos perdere igne vel ipsi ejus discipuli, Luc. IX, sic Abraham cessit Loth ejusque pastoribus rixantibus, dando ei optionem terræ quam vellet, Genes. XIII, sic Jacob cessit furori fratris sui Esau, discedendo e domo paterna in Mesopotamiam, donec mitigatum crederet, Gen. XXVII. Tantum abest, ut hoc sit ignominiosum! Quis pro dedecore habeat cedere in plateis occurrenti tigridi aut urso vel tauro furioso? Suavitatis hoc apost. ad Rom. XII. *Dati locum iræ, sicut torrenti,* ait D. Basilii super

illum locum, *qui obviam quæque impetu suo rapidissimo devolvit.* Globi bombardarum cur multo facilius mœnia ex lapidibus, quam aggeres e terra factos dejiciunt? Nonne quia illa resistunt, hi vero cedunt? Unde contra bombardarum ictus, turre saccis lana referis operiuntur. Gloriosa est hæc cessio: nemo enim te reprehendet, si cedas occurrenti tigridi, tauro vel urso.

II. Noli obloqui irato. Sic ignis in paleis et pilis leporinis sponte extinguitur, modo nil apponas. Sic Dion academicus conviciant per plateam, nihil omnino respondens et domum intrans, interroganti: *Nihil vero respondet? Ne gry quidem,* inquit, apud Plutarch. Sic Tobias exprobrante sibi uxore cæcitetam, ei non respondit: sed ingemuit, et ad Deum se convertit orando, Tob. II. S. Chrysostomus, hom. XLVII. in Joann. « Hujusmodi est, inquit, irati animus, qui si in te prosiliet, tace, et opportunam ei plagam infliges: » et homil. XXI. ad Hebr. « Sicut ferrum cum in aqua intingitur, amittit ignem: sic iracundus in longaminem incurrens, nil eum lædit, sed etiam juvat sed etiam retinetur amplius: » et hom. XVI. in Matth. « Si in excelsum flamma consurgat, non jam ligna sed et saxa et omnem prorsus materiam sibi vindicat, et per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accenditur; ita accidere etiam in ira solet. Quidquid aliquis dixerit, continuo pabulum hujus efficietur. » Sic ille. Hoc ipsum est, quod præcepit Eccl. c. VIII. dicens: *Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna.* Refert Joan. David in verid. christ. cap. LVI. femine cuidam a prudenti quodam viro datum fuisse consilium, contra mariti ejus importunas voces, quas illa antea patienter et cum silentio ferre nequibat. Is satis in confesso esse existimans impotentem mulieris linguam in culpa esse, ut vir ebrius domum rediens, omnia sursum deorsumque verteret, atque in mulieris taciturnitate remedium omne consistere, dedit illi aquam dicens: Statim atque maritum percipis domum remeantem, cochleare unum hujus aquæ in os sumito, eamque ibi tantisper teneto, donec illum super lectum suum modeste posueris, et parum admodum aut etiam nihil molestiarum deinceps habebis. Fecit quod jussa fuerat; et ita accidit ut ille prædixerat. Existimabat illa in aqua vim illam constitutam esse, et non in sua sic procurata taciturnitate. Quod si cæteri quoque seu viri seu mulieres hoc remedium uterentur dum alter lites movet, facile controversia omnis sopiretur: at dum quisque ultimum sibi verbum vindicat, non modo contentiones non finiuntur, sed potius instaurantur. Hoc vellem notarent omnes